

tur remotissima, paucissimi credunt; nam ut in *aëris atmosphæra*, *volumen humectantium atomorum*, quæ maximum circa corpora *sublunaria* spacium replet, maximè agit: Sic *volumen exhalationum subtilissimarum* etiam in illis corporibus datur, quorum activitas, quousque tendit, post se relinquit *per contactum* (ut vocant) hunc effectum, ut acum in *magnete* tangat & vertat, *aër* enim *vehiculum* est, quo mediante agens ad corpus patiens transfertur.

§. VI.

Hic & mechanismus, est in corporibus *sympatheticis* & *antipatheticis*. Nam non sufficit, *sympathiam* ita descripsisse: *Esse consensum, conformitatem quandam naturalium proprietatum, quæ, ut duo objecta, reciproco veluti amoris nexu in unum redacta, amabili quâdam tranquillitate frui possent, efficerent*; sed unde iste consensus oriatur, quæstio est. *Philipp. Melanchthon* ad scopum propius aliis, collimare videtur, cum *virgulæ divinatoriæ sympathiam cum metallis* ex his *mineralibus* describit, existimans, *radices virgulæ, succos ad se trahere metallicos*, inde *augeri & conservari* sed manca etiam causæ est descriptio.

§. VII.

Quilibet igitur meam percipiet mentem, cur mihi sermo sit de *corpore Transpirabili*, ut nimirum *latentes ex Phænomenis Cause*, per atomos eruantur, & demonstratur, quod *corpora* sint, & cur dicantur *Transpirabilia*. Includum autem hoc *corpus Transpirabile* invenio, *Triplici illi Regno, Mineralium puta: Plantarum, & Animalium*. In quæ ut intrare valeamus, eadem *doctrinâ corpusculorum*, uti poterimus.

CAP. I.

De

Corporum Transpirabilium Phænomenis
in Regno vegetabili obvis.

§. I.

A *Plantis* autem, primùm, quamvis, in antecedenti paragrapho medium illis tribuerimus locum, nunc incipere placet; reliqua verò deinde quoque tractaturi ita, ut, quæ ex *Regno mineralium, de Transpirabilitate* erunt observanda, ultimò proponamus.

§. II. ER